


„ legiatarum (Deo laus) canonicis, quod apud Trebotes pia-
„ culum cenſeretur, ſaltem quibusdam auaris bilem moueret,
„ ſarcophagum, in quo *Willigiſi* archiepiſcopi aedis diui Ste-
„ phani veſtri patroni fundatoris, corpus reconditum fuiſſe fer-
„ tur. Ad haec miratus ſum, te inter tantas pontificii tribuna-
„ lis occupationes poſſe etiam litteris politioribus & veneran-
„ dis antiquitatibus intendere. Quippe qui ad *Valerii Probi* no-
„ tas ſingulares cumulatiſſime quaedam adieciſti, qui diuerſa
„ vrbis & dioeceſis Moguntinae epigrammata ſummo labore
„ collegiſti, quae lectu iucunda fuere. Nec minus mihi iu-
„ cundum fuit legere *Pomponium Laetum* de Romanorum ma-
„ giſtratibus, ſacerdotiis & legibus. Et quoniam non ſolum no-
„ bis nati videmur, te, mi *Theodorice*, per noſtram inuiolabilem
„ amicitiam obſecro, vt *Valerii Probi* cum tuis additamentis
„ abbreuiaturas, *Pomponium Laetum* & antiquitates abs te col-
„ lectas, tandem per noſtrum *Iacobum Chobellium* tam diligen-
„ tem archigrammateum, quam induſtrium chalcographum in
„ lucem prodire ſinas, quo non ſolum vrbs & terra Mogunti-
„ na illuſtretur, ſed etiam Germanica iuuentus ad interpretan-
„ das litteras ſingulares & verba apud priſcos truncata in anti-
„ quiſſimis epitaphiis & hiſtoriis reperta: immo etiam ad in-
„ telligendas facilius nonnullas iuris ciuilis leges idonea redda-
„ tur. Denique, niſi me fallit memoria, dicebas te per otium
„ (ſi quod forſitan occupationibus tuis ſucciſiuum daretur)
„ ſcribere deſtinaſſe *catalogum* & vitas epiſcoporum & archiepi-
„ ſcoporum Moguntinenſium ad hanc vsque aetatem noſtram: in
„ quo & ego circa Argentinenſes epiſcopos magnopere mihi vi-
„ deor deſudaſſe. Quocirca vehementer te oro & exhortor,
„ ne hoc inſtitutum tuum vt multa alia egregia, veluti Aiax ille
„ in ſpongiam incubuit, obliterari patiaris: ſoles enim (pace tua
„ loquar) alioquin etiam in his, quae abſoluta ſunt, edendis eſſe
„ tardiuſculus, quod cum in multis abs te fiat, tum praecipue
„ in *hiſtoria violatae crucis* per te verſibus exactiſſime celebra-
„ ta, quam multi ſtudioſorum fruſtra hactenus expectarunt.

X „ Vale,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/amoenitates_literariae_friburgenses1776/0175
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG